

## EL FAMOSO JURISPERITO, DEL SIGLO XIII, VIDAL DE CAÑELLAS, OBISPO DE HUESCA

(NOTICIAS Y DOCUMENTOS INÉDITOS)

(*Conclusión*)

### DOCUMENTOS

#### I

*El Rey D. Jaime I, en atención á los servicios á él prestados por su pariente D. Vidal de Cañellas, le dona unas alquerias y unas casas en Valencia. (En el asedio de esta ciudad, á 10 de junio de 1238.)*

Cum sit consentaneum rationi ut illos gratis beneficiis honoremus qui pro honore nostro et utilitatibus regni nostri dies laboriosos et noctes insomnes sepe spontanei deduxerunt et proponunt deducere in futurum, et maxime illos ad quorum retributionem honorem vel promotionem consanguinitatis linea nos invitat. Id circo nos Jacobus dei gratia Rex Aragonum et Regni Maioricarum, Comes barchinone et Urgelli et domini Montispesulani. Considerantes grata servicia nobis inpensa a vobis venerabili dilecto consanguineo nostro Vitalis dei gratia oscensis Episcopo necnon affectionis constanciam quam erga nos geritis et gessistis, per nos et omnes successores nostros, donamus concedimus et laudamus per hereditatem propriam francham liberam et quietam vobis predicto V. dei gratia oscensis episcopo et cui vel quibus volueritis in perpetuum, alqueriam et locum qui dicitur almazera cum suis terminis, et alqueriam et locum de alcodia que est iuxta civitatem Valencie, et villam novam cum suis terminis et pratis pascuis et aquis ductibus consuetis, et quibus uti volueritis herbis et lignis, et est omnibus pertinentibus ad cascen. Damus etiam vobis et cui volueritis, domos infra muros civitatis Valencie que fuerunt de hely sarraceno, et sunt juxta mesquitam maiorem et juxta domum de alanf. Et hec omnia et singula supradicta damus vobis et cui volueritis, ad habendum, tenendum, possidendum, et expletandum, cum introitibus exitibus affrontacionibus et suis pertinentiis universis, a celo in abissum, ad dandum vendendum impignorandum alienandum et populandum, et ad omnes vestras voluntates cuicumque volueritis proprio libere faciendas. Quam donacionem vobis facimus intuitu persone vestre, et propter dilectionem quam

gerimus erga vos, racione etiam consanguinitatis que nobis juncti estis. Excipimus tamen ab alquerias superius memoratis, furnos et molendino quos et que nobis et nostris proprio retinemus. Data in obsidione Valencie, quarto idus junii, Era Millesima CC<sup>o</sup>LXX<sup>a</sup> sexta.

Signum ✠ Jacobi dei gratia Regis Aragonensis et Regni Maioricarum, Comitis barchinone et Urgelli et domini Montispesulani.

Huius rei testes sunt Artaldus de Alagone, Rodericus de liçana, Guillelmus de montecatano, Eximinus de Urrea, dompnus latro, Assalitus de gudal, Guillelmus de portela, F. petri de pina.

Signum ✠ Guillelmoni scribe qui mandato domini Regis per domino Berengario barchinonensis Episcopo Cancellario suo hanc cartam scribi fecit loco die et era prefixis.

(Archivó de la Catedral de Huesca: armario II, legajo 4.<sup>o</sup>, pergamino núm. 191 (1).

## II

*Sentencia arbitral dictada por el Rey y el Arzobispo de Tarragona, resolviendo el pleito entre el obispo de Huesca D. Vidal de Cañellas y el de Tortosa, acerca de la pertenencia y jurisdicción de la iglesia de Alquézar, y otras, en favor del de Huesca. (13 de junio de 1242.)*

Cum controversia verteretur inter V[italen]. episcopum et ecclesiam oscensem ex una parte, et P. Episcopum et ecclesiam Dertusensem ex altera super ecclesiis de alcheçar, de aviego, de Salis, de Costean, de poçan, de Açara, de Castellaçolo, de salinis, de stada, de orta, de Ponçano, de Lazano, Sancti sepulcri de barbastro, de nadilla, de liçana, cum decimis et primiciis et oblacionibus et omnibus iuribus episcopalibus et spiritualibus earundem. Tandem Episcopus Oscensis per se et Capitulo suo et episcopus Dertusensis per se et Capitulo suo compromiserunt in dominum J[acobum]. Regem Aragonum, et in dominum P. Terrachonensem Archiepiscopum super omnibus predictis ecclesiis, et iuribus ad eas pertinentibus sub pena Mille Morabetinorum, ita scilicet quod quelibet pars teneatur stare et obedire super omnibus et singulis predictis sentencie vel sentenciis, dicto vel dictis, consilio vel consiliis, mandato vel mandatis, compositioni vel compositionibus eorum daret parti obedienti Mille morabetinos pro pena, et amitteret jus quod habet in predictis ecclesiis et restitueret quod recipit ex hoc arbitrio vel compositione, dicto, consilio vel mandato, salvo jure suo parti obedienti. Et fuerunt fideiussores de predicta pena dominus F. infans aragonum, et berengarius de monte regali Civis valentinus pro episcopo et ecclesia dertusensis, et dompnus Rodericus de liçana et Petrus Sancii civis

(1) Es un trasunto hecho en 9 de abril de 1252, testificado por Guillermo de Jaca, Arnaldo Astruch y Guillermo Galcerán, notarios de Valencia.

ylerdensis pro episcopo et ecclesia oscensis. Unde nos predicti J. dei gratia Rex Aragonum et P. per eandem archiepiscopus Terrachonensis visis privilegiis et instrumentis utriusque partis et auditis rationibus eorundem cognoscentes predictas ecclesias cum omnibus juribus suis pertinere ad Episcopum et ecclesiam oscensem ut pote infra limites sive episcopatus constitutas, eidem Episcopo et ecclesie oscensis easdem ecclesias cum decimis primiciis et oblacionibus et omnibus juribus episcopalibus et spiritualibus earundem, sentencialiter adjudicamus, et mandamus et arbitramus quod predictus Episcopus et ecclesia Dertusensis restituant et cedant episcopo et ecclesie oscensis omnia instrumenta, jura, voces, et acciones que habent vel habere possunt ratione predictarum ecclesiarum, et in hec episcopum et ecclesiam Dertusensis condemnamus, perpetuum eis super predictis ecclesiis et juribus suis silencium imponentes. Precipimus etiam et mandamus, et arbitrando pronunciamus sub pena predicta Mille morabatinorum, quod predictus Episcopus et ecclesia Dertusensis reddant incontinenti predictas ecclesias cum decimis et primiciis et oblacionibus et omnibus juribus episcopalibus et spiritualibus earundem, predicto Episcopo et ecclesie oscensis, immunes ab omni obligacione et alienacione et honore in detrimentum vel diminucionem Episcopatum jurium vel reddituum factis, et in corporalem possessionem et quasi possessionem ipsarum ecclesiarum ipsum Episcopum et ecclesiam oscensem inducant, et in hoc ipsum Episcopum et ecclesiam dertusensem similiter condemnamus, et uterque predictorum Episcoporum faciat alterum securum secundum arbitrium predicti Archiepiscopi, quod Capitulum suum vel aliquis de Capitulo contra hoc non veniat. Et omnia et singula predicta dicimus et pronunciamus sub pena predictorum mille morabatinorum, ita quod pars que inobediens fuerit in aliquo predictorum, solvat mille morabatinorum parti obediens pro pena, et amittat jus quod habet in predictis, et restituat quod recipit ex hoc arbitrio vel compositione dicto consilio, vel mandato. Actum est hoc idus junii, anno christi Incarnationis Millesimo Ducentesimo Quadragesimo Secundo.

Ego petrus sancte tarrachonensis ecclesie archiepiscopo subscribo.

Ego Vitalis oscensis episcopus sub-subscribo (*sic*) ✠. Ego poncius dertusensis episcopus subscribo ✠. Sig ✠ num b. de fenolario precentoris dertusc. Sig ✠ num Arnaldi dertusensis sacriste.

Signum ✠ Jacobi dei gratia regis aragonensis Maioricarum et Valencie, Comitis barchinone et urgelli et domini Montispesulani qui in hiis auctoritatem Regiam impartimus.

Sig ✠ num ferrandi Infantis Aragonum.

Sig ✠ num Roderici de liçana. Sig ✠ num petri sancii civis ylerdensis, qui hec laudamus et firmamus.

Sig ✠ num berengarii de monte regali predicti, qui hec laudavit et firmavit, presentibus petro marinerio, et bernardo de blanchafort.

Ego B. sacrista iaccensis subscribo ✠. Ego P. marthe vallensis ar-

chidiaconus subscribo ✠. Ego dominicus prior claustrale subscribo sig ✠ num.

Ego berengarius dertusensis Archidiaconus ✠. Sig ✠ num G. prioris dertuse.

Sig ✠ num petri de podio canonicus. Sig ✠ num Guillelmi descarp canonicus. ✠ Bernardi presbiter et canonicus.

Sig. ✠ num b. de ohuela canonicus.

Ego favencius camerarius subscribo ✠. Sig ✠ num G. de camareto canonicus.

Sig ✠ num Magistri D. Precentoris valentinus que tanquam testis subscripsit.

Sig ✠ num magistri B. de solerio domini Regis notarij. Testis huius rei.

Ego magistri M. archidiaconus Valencie testis subscribo.

Ego Johannes de guardia testis subscribo.

Sig ✠ num Bernardi leochadie publici Notarii Valencie qui hec scripsit cum aliquantulo raso et emendato, in prima linea ubi dicitur, et ecclesia, et in VII, in loco dicto, dominis.

(Archivo de la Catedral de Huesca; armario VI, legajo 5.º, pergamino núm. 330.)

### III

*D. Vidal de Cañellas concede al Castellán de Amposta y á la Orden de San Juan de Jerusalén, facultad para tener en su iglesia de Huesca un cementerio y enterrar en él á cualquiera que lo desee, bajo ciertas condiciones. (1.º de junio de 1243.)*

Quod intuitu pacis et concordie, pie a fidelibus statuuntur, scripture debent comendari, ne in posterum malicia perversorum valeant depravari. Hinc est quod nos V[italis]. dei gratia Oscensis episcopus intuitu pietatis et ob magnam devocionem quam videmus vos Ugo de fullalcherio Castellane emposte habere circa ecclesiam nostram, concedimus vobis et aliis fratribus hospitali Iherosolimitani, ut habeatis cimiterium in ecclesia vestra Oscensis, et possitis ibi sepelire omnes homines quicumque ibi elegerint sepulturam, sive de Episcopatu nostro sive de alieno, ita tamen ut fideliter donetis et reddatis nobis et successoribus nostris et ecclesie Oscensis, quartam partem omnium proventuum que ad ipsam ecclesiam hospitale accesserint, vel ad vos vel ad successores vestros quocumque modo devenerint ratione illorum qui in predicto sepelientur Cimiterio, tam de mobilibus quam de immobilibus preter Equm et arma. Preterea statuimus inter nos, ut de omnibus hominibus utriusque sexus qui sunt vel erunt parrochiani infra terminos istos, videlicet inter Gallecum et Guadizalemam (1), qui in qualibet domo hospitale

(1) Los ríos Gállego y Guatizalema.

elegerint sepulturam ubicumque moriatur in Regno Aragonensi, quod nos et ecclesia oscensis habeat quartam partem omnium proventuum qui ad domum hospitale vel ad hospitalarios devenerint quocumque modo, ratione aliorum qui in Cimiterio hospitalis sepulti fuerint, tam de mobilibus quam de immobilibus excepto equo et armis. Excipimus etiam quod Capellanus hospitale non vadat per Civitatem dando penitencias vel comunicando infirmos, sed omnes parrochiani nostre a Capellanis nostris recipiant penitencias et Eucaristiam. Et si parrochianus noster voluerit sepelire in Cimiterio hospitale, Capellanus hospitale eat ad domum mortui, et veniat cum cadavere usque ad domum hospitale et sepeliat eum ibi. Statuimus preterea quod si aliquando contigerit quod nos ponamus interdictum in Civitate, vos iuxta privilegium vestrum Clausis januis non pulsatis campanis, divina celebretis officia, et interdictos vel excommunicatos nostros non admittatis. Et si qui sunt qui velint in Ecclesia ipsa audire divina officia, libere recipiantur, ita quod ecclesie antique suo non fraudentur jure. Et nos Ugo de fullalcherio predictus Castellanus emposte, et alii fratres nostri, recipimus a vobis domino V. oscensis episcopo et a Capitulo vestro hoc donativum, et promittimus vobis cum consilio et voluntate Capituli de emposta bono animo et bona fide quod observabimus in perpetuum omnia que superius scripta sunt. Actum est hoc kalendas Junii Era M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXXX<sup>o</sup> prima.

(Archivo de la Catedral de Huesca: armario VI, legajo 5.<sup>o</sup>, pergamino núm. 371.)

## IV

*Otra concesión análoga á la anterior, en favor de los Hospitalarios de Barbastro, para que puedan tener oratorio y cementerio. (1.<sup>o</sup> de junio de 1243.)*

Quod intuitu pacis et concordie pie a fidelibus constitunntur, scripture debent comendari ne in posterum malicia perversorum valeant depravari. Hinc est quod nos V[italis]. dei gratia Oscensis Episcopus, intuitu pietatis et ob magnam devotionem quam videmus vos, Hugo de fullarcherio Castellane Emposte habere circa Ecclesiam nostram, concedimus vobis et aliis fratribus hospitale iherosolimitani, ut habeatis Oratorium et Cimiterium in barbastro, et possitis ibi sepelire omnes homines quicumque ibi elegerint sepulturam, sive de Episcopatu nostro, sive de alieno, ita tamen, ut detis nobis et successoribus nostris, quartem (*sic*) partem fideliter omnium proventuum et obventionum que ipsi ecclesie Hospitale quocumque modo obvenerint vel acciderint vel vobis vel successoribus vestris, ratione illorum qui de nostro Episcopatu fuerint et in predicta Ecclesia vestra sepelientur vel elegerint sepulturam, tam de mobilibus quam de immobilibus, preter equos et arma. De his autem que obvenerint predictæ ecclesie, et vobis vel vestris

successoribus ratione Parrochianorum alterius Episcopi, vel cuiuscumque prelati, qui in predicta vestra Ecclesia de barbastro sepelientur vel elegerint sepulturam, dabitur nobis et successoribus nostris, fideliter sextam partem, tam de mobilibus quam de immobilibus, preter equos et arma, et vos componatis cum illo cuius parrochianum sepelietis, vel cuius parrochianus apud vos elegerit sepulturam, ita quod nostra sexta pars totius proventus vel obventionis non diminuatur. Parrochiani tamen Ecclesie nostre de Barbastro, sine speciali nostra licentia, vel eius qui locum nostrum tenuerit in hac parte, nullomodo possint in predicta vestra Ecclesia sepeliri, quantumcumque ibi elegerint sepulturam. Excipimus etiam quod Capellanus predicte ecclesie Hospitalis Barbastri, non iniungat penitentias nec comunicet infirmos in parrochia Barbastri, vel aliis nostris parrochiis, sed capellani nostri dent parrochianis nostris Eucharistiam, et penitentias. Item cum contigerit nos vel successores nostros ponere interdictum in Barbastro, non celebrentur divina officia in vestra Ecclesia, nisi januis clausis, et campanis non pulsatis omnibus exclusis, exceptis fratribus et familia vestra. In pulsatione autem horarum et in abstinendo a divinis, cum Episcopus voluerit predicare, faciat Ecclesia vestra sicut cetera Capelle Barbastrensis, ita scilicet quod non pulsentur hore in Ecclesia vestra quousque pulsentur in Ecclesia sancte Marie, et quod abstinence ibi a divinis ad mandatum Episcopi. Et nos Ugo predictus Castellanus Emposte, et alii fratres Hospitalis predicti, cum consilio et voluntate Capituli de Emposta, recipimus a vobis domino V. dei gratia oscensis Episcopo supradicto, et a Capitulo vestro hoc donativum, sub forma et conditionibus antedictis. Renuntiantes scienter et consulti omni juri et privilegio generali vel speciali, quod contra predictam formam et condiciones faciat vel facere videatur, promittentes deo et vobis et Ecclesie oscensis, cum consilio et voluntate Capituli de Emposta per nobis et nostris successoribus bona fide, quod omnia et singula predicta servabimus et servari in perpetuum faciemus. Actum est kalendas junii Era M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXXX<sup>o</sup> prima.

(Archivo de la Catedral de Huesca: armario VI, legajo 5.<sup>o</sup>, pergamino núm. 314.)

## V

*Carta del Cabildo de la Seo de Huesca al Papa, en la que elogia la persona de su obispo D. Vidal de Cañellas, que va á la Corte Pontificia á gestionar asuntos de interés para la iglesia oscense; y le suplican su atención y su favor. (22 de mayo de 1245.)*

Sanctissimo patri ac domino I. divina providencia Sacrosancte Romane ecclesie Summo pontifice. P. petri prior et totum Capitulum unanimiter ecclesie Oscensis, prostrati ad terram pedum oscula beatorum. Cum venerabilis pater noster Vitalis dei gratia Oscensis Episcopus,

vir litteratus, nobilis, providus, et discretus, vita preclarus, moribus honestus, felicitate bonorum operum redimitus, ad pedes sanctitatis vestre accedit, proponens ecclesie nostre quam per dei gratiam tam in temporalibus quam spiritualibus feliciter toto tempore sui Regiminis gubernavit, negocia promovere, pietati vestre humiliter supplicamus, quatinus in suis petitionibus misericordie et favoris sivi pia ubera (?) dignemini aperire, ut quem inter nos et super nos semper tam pie quam laudabiliter conversantem, pium patrem, circumspectum et sollicitum habuimus clemencie vestre gracia premiaturum et refocillatum aquis fontis vestre benignissime pietatis semper proficisci de bono in melius sentiamus. Data Osce, XI<sup>o</sup> kalendas Junii anno domini Millesimo CC<sup>o</sup> Quadregesimo Quinto.

(Archivo de la Catedral de Huesca: armario VI, legajo 4.<sup>o</sup>, pergamino núm. 256. Tuvo sello céreo pendiente.)

## VI

*Fray Esteban, Porcionario del Papa, absuelve á D. Vidal de Cañellas de la irregularidad en que habia incurrido por incorporar indebidamente á la Sede algunos Prioratos é iglesias. (Lyón, 4 de octubre de 1245.)*

Venerabili patri in christo V[italis]. dei gratia Episcopo Oscensis, frater Stephanus domini pape portionarius, salutem in domino. Presentibus volumus fieri manifestum quod nos recepto super hoc speciali mandato domini pape vos ab omnibus sentenciis quas incurristis, eo quod aliquando ecclesiam sive prioratum Sancti Petri de siresia cum suffraganeis suis, et ecclesiam sive Prioratum Sancti Petri de lasieso cum suffraganeis suis, et ecclesiam sive prioratum Sancte Marie de latre cum suffraganeis suis, et ecclesia de Gragnen, et ecclesiam de Cellis, et ecclesiam de Agnis, et ecclesiam de pardinella, et ecclesiam de Marcellanego, et ecclesiam de xiverr a martes (1), contra inhibitionem bone memorie J. Episcopi Sabinensis quondam Apostolice sedis in yspania legati retinuistis, et contra eandem inhibitionem easdem ecclesias incorporastis dignitatibus vel amministrationibus Oscensis vel Jaccensis ecclesie, et ab omnibus sentenciis quas ratione inhibitionum vel constitutionum dicti domini Sabinensis quoquomodo incurristis, tam auctoritate premissi mandati, quam auctoritate officii penitencie nobis comissi, absolvimus, et super omni irregularitate quam inde contraxistis sive ordines recipiendo, sive ordines conferendo, sive celebrando, sive aliquo modo predicta sententia ligati vel aliqua de predictis, vobiscum dispensamus, sic quod in nullo in iudicio vel extra nocere vobis valeat vel

(1) Javierremartes, diócesis de Jaca.

opponi. Dispensamus etiam eodem modo, cum omnibus illis qui a vobis sic ligatis, ordines vel beneficia receperunt. Datis lugduni IIII<sup>o</sup> Nonas Octobris anno domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup> Quadragesimo Quinto, Pontificatus domini Innocencii pape IIII anno Tercio.

(Archivo de la Catedral de Huesca: armario II, legajo 6.<sup>o</sup>, pergamino núm. 317. Tuvo sello céreo pendiente.)

## VII

*Sentencia arbitral dictada por el obispo D. Vidal de Cañellas en un asunto de pago de lezdas y peajes, pendiente entre el Rey y la Orden del Temple, por la venta de hierro de Ambel. (Ejea, 12 de marzo de 1246.)*

Cum esset contencio inter dominium Jacobum Dei gratia Regem Aragonum ex una parte et fratres Templi ex altera super pedagio ferri .... ines Templi habitatores de Ambel portant ad vendendum Cesaraugustam vel ad alias villas Regis de quo Rex dicebat quod debebant dare pedagium et lezdas et e contrario fratres predicti dicebant quod non. Nos Vitalis, Dei gracia Oscensis Episcopus, dati iudices a domino Rege cum assensu predictorum fratrum habito consilio sapientium et auditis rationibus hinc et inde sentenciando pronunciamus quod quilibet homo Templi habitator de Ambel qui de sua propria ferri fodina propriis expensis vel manibus extrahens ferri materiam sive mineriem propriis expensis similiter vel manibus fecerit vel fieri fecerit ex ipsa materia sive minerie dictum ferrum et propriis expensis ad civitates vel villas domini Regis portaverit ipsum vel portari fecerit ad vendendum non tenetur dare de ipso ferro pedagium sive lezdam. Ille autem qui materiam emerit sive ferrum si postea ferrum factum ex dicta materia vel ferrum quod emit jam factum ad civitates vel villas domini Regis portaverit vel portari fecerit ad vendendum teneatur dare pedagium sicut quilibet mercator alius teneretur. Et si lezdarii vel pedagogarii dubitaverint in predictis predicti homines Templi qui ferrum portaverint ad vendendum teneantur prestare juramentum ut dicunt super hiis veritatem. Et si pedagogarii vel lezdarii postea probaverint illum qui ita juraverit super hiis perjurium commississe teneatur item periurus illam penam peccuniarum persolveret quam tenentur solvere substrahentes vel celantes lezdam vel pedagium fraudulenter. Lata fuit hec sententia coram domino Rege apud Exeam IIII<sup>o</sup> idus Marcii anno ab incarnatione Domini millesimo CC quadragesimo sexto, presentibus Magistro Bernardo de Solerio, Guillelmo Bernardi de Sancto Romano et Guillelmo de Bello loco, domini Regis notariis, et Bernardo priore de Corneliano Capellano domini Regis et multis aliis. Signum Jacobi Dei gracia regis Aragonum, Maioricarum et Valencie, Comitum Barchinone et Urgelli et domini Montispeulani, qui omnia supradicta laudamus, concedimus et

confirmamus prout plenius superius continetur, et ad majorem rei firmitatem sigilli nostri fecimus roborari loco, die et anno prefixis. Ego Bernardus Branche, domini Vitalis Oscensis Episcopi notarius, de mandato ejus hoc scripsi et hoc signum feci.

(Archivo de la Corona de Aragón: Perg. núm. 1,076 de Jaime I.)

### VIII

*D. Vidal de Cañellas concede licencia al Cabildo para donar al sacerdote Domingo de Almonien una mezquita mora y un huerto contiguo, en Huesca, para convertirlos en templo cristiano en honor de San Martín. (15 de julio de 1250.)*

Pateat universis quod ego G. petri oscensis prepositus, cum assensu et voluntate venerabilis patris et domini V[italis], dei gratia oscensis episcopi, P. petri prioris tocusque eiusdem ecclesie Capituli dono et concedo vobis dominico de Almonien, sacerdoti oscensis, toto tempore vite vestre illam mesquitam veterem, Claustri oscensis, cum suo orto contiguo, que est in barrio de don Salmone, ad portam de Benahayone, circa illum furnum, illam videlicet mesquitam sive locum illum quem dompnus Johanni pietavini, civis oscensis, nobis et ecclesie oscensis, dedit et assignavit, cum aliis bonis suis et hereditatibus pro quadam Capellano perpetuo ibidem instituendo, cum illa mesquita, ecclesia fuerit sancta. Predicta vero mesquita, et ortus eius se tenet et afrontat cum orto qui fuit de abdella abimaomath zavalachem defuncto, ex alia parte in via publica. Ita quidem quod habeatis possideatis et explectetis deinde predictam mesquitam sive locum illum cum orto suo contiguo et cum aliis hereditatibus possessionibus juribus et pertinentiis suis integre eidem loco sive mesquite pertinentibus et debentibus modo aliquo pleno jure, et exproptare, cum oblacionibus defuncionibus redditibus omnibus et proventibus presentibus et futuris, diebus omnibus vite vestre, sine impedimento et contradiccione persone alicus (*sic*) et retentu. Tali tamen condicione quod vos predictus Dominicus capellanus, reficiatis interim et reperetis dictam mesquitam, sive locum illum, ad opus ecclesie beati martini ibidem faciende, de parietibus lapidibus lignis et de tectis, inferius et superius, undique et per totum secundum quod utile fuerit et necesse conveniente, preterea quod faciatis ibi vel fieri faciatis altare lapideum, et alia edificia, ad locum necessaria, ad opus ipsius ecclesie faciende. In qua ecclesiastica servicia et divina officia continue personaliter faciatis, ad honorem dei et invocacionis beati Martini toto tempore vite vestre, facto autem a vobis opere, et reparacione ipsius, ut est dictum superius, ita quod in eadem ecclesia possit divinum officium celebrari. Ex tunc ego predictus prepositus, auctoritate Episcopi et Capituli predictorum convenio et promito vobis

prefato D. sacerdote, dare continue porcione de porcionis claustris oscensis per duos annos tantum in adiutorium et succensum predictae ecclesie reparande et faciende, et pro servicio in eadem ecclesia faciende, ut superius est expressum, propter dies autem vestros, de vobis predicto dominico sacerdote predicta ecclesia Sancti Martini, cum omni jure suo et melioramento in ea facto, nobis predicto preposito et successoribus nostris et ecclesie oscensis, ratione prepositarum reddatur integre et revertatur, sine omni diminutione et impedimento, absque omni honore debitorum libere et in pace. Et ego predictus Dominicus sacerdos cum gratiarum actione recipio a vobis domino G. petri preposito supradicto auctoritate et assensu dominorum Episcopi et Capituli supradicti dictam mesquitam, sive locum illum, ad ecclesiam ibi faciendam et seruiendam cum condicionibus antedictis, promittens me omnia et singula supradicta in tota vita mea fideliter impletum (*sic*). Sunt testes huius rei bartolomeus de artasona diachonus, petrus lupi de sacristia, et Pardus de luna barbitonsor oscensis. Ego Vitalis oscensis episcopus subscribo ✠.

Martinus guasquin, Notarius oscensis, Idus Julii in Capitulo oscensis mandato predictorum hec scripsit sub Era M<sup>a</sup>CC<sup>a</sup>LXXX<sup>a</sup>VIII<sup>a</sup>, Signumque apposuit.

(Archivo de la Catedral de Huesca: armario II, legajo 6.º, pergamino núm. 296.)

## IX

*Asignación de veinte morabetines alfonsinos sobre los frutos de la iglesia de Estada, en favor de Pedro Pérez, hijo del Justicia de Aragón, por D. Vidal de Cañellas. (8 de agosto de 1250.)*

Pateat universis quod Nos V[italis], dei gratia Oscensis Episcopus, attendentes grata et utilia servicia nobis et ecclesie oscensis exhibita, et deo volente in posterum exhibenda, per vos petrum filium dompni Martini petri Justicie Aragonum dilecti nostri, ideoque cum assensu et voluntate P. petri, prioris tociusque oscensis ecclesie Capituli, damus concedimus et assignamus vobis predicto Petro in beneficium personale, XX<sup>ii</sup> morabetinos Alfonsinos, bonos in auro, in tributis et exitibus nostris quos habemus et habere debemus in ecclesia nostra de Stada. Ita quidem ut predictum beneficium sive aureos, habeatis et percipiatis plene et pacifice, sine retentu aliquo annis singulis in festo Natalis domini, quandiu vixeritis in hoc seculo, ita quidem quod vos dictus Petrus in omnibus quibus poteritis licite et honeste, sitis nobis Episcopo supradicto et oscensi ecclesie benevolus et devotus. In cuius rei testimonium, hanc cartam fecimus fieri et scribi per manum Martini guasquin publici tabellionis oscensis, et sigilli nostri et sigilli oscensis Capituli roborata. Actum est hoc VI<sup>o</sup> idus Augusti sub Era M<sup>a</sup>CC<sup>a</sup>LXXX<sup>a</sup>VIII<sup>a</sup>. Ego Martini guasquin oscensis tabellarius predictus, hiis interfui, et de man-

dato predictorum Episcopi et oscensis Capituli hec scripsi Sig ✠ numque apposui.

(Archivo de la Catedral de Huesca: armario VI, legajo 3.º, pergami-  
no núm. 211.) (1)

## X

*Testamento del obispo de Huesca D. Vidal de Cañellas. (12 de octubre  
de 1252.)*

[Q]uia nemo in carne positus mortem evadere potest. Idcirco in dei nomine Nos Vitalis dei gratia oscensis Episcopus, in nostro pleno sensu et sana memoria ac integra constituti scienter et consulte nostrum condimus testamentum, omnibus aliis usque modo conditis revocatis hoc confirmantes perpetuo valiturum. In quo eligimus et instituimus manumissores nostros Alfonso de Orna Sacristam oscensem, Berengarium de Cannellis fratrem nostrum, et Berengarium de Civaderia, quibus rogando precepimus ut ipsi res et bona nostra distribuunt, et voluntatem nostram exequantur bona fide iuxta possibilitatem suam sicut inferius pervenerint ordinatum. In primis dimittimus corpus nostrum sepeliendum in Ecclesia Cathedrale Oscensis, volentes et mandantes quod sepultura nostra fiat bene et honorifice de omnibus mobilibus nostris que sunt in domo nostra, et si forte illa non suffecerint .... (2) supplementum de aliis mobilibus nostris ubicumque sint. Item volumus et laudamus quod de pane et vino et ovibus nostris que hodie habemus, et de medietate fuste nostre solvantur debita nostra in quanto suffecerint hec predicta. Residuum autem predictorum debitorum solvat ecclesia de bonis mense episcopalis, et inter debita ista volumus et mandamus quod solvatur uxori Dominici tolla medietas illius debiti de quo nos ab ipso Dominico tolla ratione injuriarum nobis ab eo illatarum fuimus per sententiam absoluti. Item dimittimus hereditatem nostram de Valencia ecclesie Sancte Marie de Salis sub hac videlicet conditione quod primo de hereditate illa et de residua medietate fuste nostre solvantur legata et restituantur injurie ac solvantur debita infrascripta, et residuum predictae hereditatis tradatur predictae ecclesie sancte Marie de Salis. In primis dimittimus predicto Berengario de Cannellis fratri nostro CCC<sup>os</sup> morabetinos, et dicto Alfonso de Orna Sacriste oscensis C. morabetinos, et Arnaldo de banneris Mille morabetinos, et Guillelmo de penna fideli nepoti nostro CCC<sup>os</sup> morabetinos, et bernardono fratri eius C. morabetinos, et petro de turre CC<sup>os</sup> morabetinos, et Raymundo de Rivò sico quingentos morabetinos, et bernardono fratri eius

(1) Lleva el sello céreo pendiente, del obispo, y un fragmento del Cabildo.

(2) Está aquí ilegible el pergamino.

L. morabetinos et don berengario de Civaderia Centum quingentam morabetinos. Item dimitimus Geraldone de banneris fratri dicti Arnaldi omnes libros nostros Juris Civilis, et decretales, et volumus quod redimantur libri predicti et tradantur dicto Geraldono. Item dimitimus ipsis duobus fratribus Arnaldo et Guillelmo de banneris omnes lapides nostros preciosos. Item volumus et mandamus quod dictus Arnaldus de banneris habeat equum quem iam sibi dedimus, et unum mulum, et Petrus de turri habeat similiter equum quem iam sibi dedimus, et unum mulum, et Guillelmonus de penna fidei nepos noster predictus habeat mulam quam equitare consuevit, et dictus Raimundus de Rivo sicco habeat similiter mulum quem equitare consuevit, et Geraldonus de banneris predictis habeat Roncinum quem equitare similiter consuevit. Item volumus et mandamus quod solvantur dicto Arnaldo de banneris ea que pro nobis debet in Osca, et C. solidum jaccensem quos pro nobis manulevavit in Herda. Item solvantur nonaginta solidum jaccensem petro de turri quos de suo pro nobis expendit. Item volumus et mandamus quod restituatur Guillelmo de Rivo sicco Clerico nostro quicquid nos habuimus de portione sua de barbastrò, ex quo eum fecimus porcionarium ipsius loci. Item recognoscimus quod debemus dicto Berengario fratri nostro de Cannellis DC. solidum jaccensem pro quodam Equo quem ab ipso habuimus, quos mandamus sibi solvi de predictam hereditatem Valencie et medietate fuste nostre, simul cum aliis injuriis et legatis. Item dimitimus quod de eiusdem solvantur debitum magistri Raimundi roderici barchinone, et CCXXX solidum jaccensem quod debemus Bernardo barchinone notario nostro pro uno mulo quem ab ipso habuimus, et CXX solidum jaccensem quos debemus domine Agneti uxori dicti berengarii de Cannellis pro uno Tapeto quem habuimus ab eadem. Item dimitimus fratribus minoribus oscensis CCC solidum jaccensem, et fratri Johanni de hospitali eiusdem ordinis L. solidum jaccensem pro se. Item dimitimus eisdem fratribus pro vestuario Centum L solidum jaccensem. Item dimitimus fratribus predicatoribus barchinone Triginta morabetinos, de quibus iam habuerint C. solidum barchinonensem. Item dimitimus Ecclesie Sancti Petri de Siresia Quingentos solidum jaccensem pro emenda hereditatis de bardossella scilicet de Gorduno quam nos vendidimus, que pertinebat ad ipsam ecclesiam, de quibus Quingentos solidos emantur possessiones ad opus ecclesie antedictæ. Item dimitimus Sancio de boleya Archidiacono Oscensis Camere et Jaccensis pro emenda expensarum captionis sue, C. solidum jaccensem. Item dimitimus Dominico pepini abbati de Ayn Centum XXVII solidum jaccensem quos expendit de suo pro nobis in Astorito. Item dimitimus Urrace bapticate que fuit de gente iudeorum CCC. solidum jaccensem, ultra ea que sibi debemus. Item recognoscimus quod dum eramus prepositus mensis novembris in ecclesie barchinone fecimus injuriam cuidam puelle de provincialibus filie de Bonafiac usque ad Millem solidum barchinonensem ut nobis videtur, et hiis scit Petrus

Arbeti canonicus barchinonensis, et ideo volumus et mandamus quod ad recognitionem ipsius Petri Arbeti restituantur dicti Mille solidi vel etiam pleni (?)..... (r) plibus sibi tenemur mulieri predicte vel heredibus suis. Item quod Marimundus de plicamanibus Civis barchinone olim defunctus dicebat se ius habere in domibus quas nos habemus in Valencia ex donatione domini Regis, volumus et mandamus quod instrumenta nostra et heredum dicti Marimundi que confecta fuerint super acquisitione dictarum domorum, ponantur in manu fratris Raimundi de penna forti predicatoris barchinone, et fiat de domibus illis secundum quod ipse frater Raimundus cognoverit faciendum. Item volumus et mandamus quod restituantur Petro Marcho Archidiacono vallensis domus sue de Valencie quas nos tenebamus simul cum nostris. Item dimittimus Abraym Abarrale Alphaquino Oscensis fisico nostro XX morabetinos. Volumus etiam et mandamus quod dictas injurie nostre restituantur et emendentur que ..... poterunt inveniri. Omnia autem bona nostra expressa et non expressa, dimittimus in posse predictorum A. de Orna Sacriste oscensis, Berengarii de Cannellis et Berengarii de Civaderia, volentes et mandantes quod ipsi compleant et compleri faciant omnia supradicta prout superius sunt expressa, et possint vendere dictam fustam et totam dictam hereditatem Valencie vel partem ipsius pro exequendis predictis, prout eis visum fuerint expedire. Et si forte successor noster vel aliquis alius impediret vel impediri faceret, predictos scilicet Alfonsum de Orna Sacristam Oscensem, Berengarium de Cannellis et berengarium de Civaderia in predictis vel in aliquo predictorum, supplicamus domino Rege, et misericordiam ipsius et auxilium imploramus quod ipse manuteneat et deffendat eos et faciat compleri omnia predicta prout a nobis sunt superius ordinata. Sunt testes huius testamenti Arnaldus de Rosanis Archidiaconus de Sarravlo, et Andreas de claris vallibus Canonicus oscensis. Actum est hoc apud Oscam in palacio dicti domini Episcopi, IIII<sup>o</sup> idus octobris, Anno domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>L<sup>o</sup>II<sup>o</sup> Era M<sup>a</sup>CC<sup>a</sup> nonagesima. Ego Guillelmus de loças publicus oscensis notarius hanc cartam scripsi de mandato predicti domini episcopi, et in XVIII<sup>o</sup> linea rasi et rescripsi ubi dicitur XXVII et in XXIII<sup>o</sup> linea ubi dicitur fisico nostro XX<sup>o</sup>, et hoc sig ✠ num feci.

(Archivo de la Catedral de Huesca: armario VI, legajo 5.º, pergamino núm. 338.)

#### ADICIÓN

En el archivo de la Catedral de Huesca, armario II, legajo II, pergamino núm. 723, hay una Bula del Papa Inocencio IV dirigida al obispo Cañellas y al Capítulo, por la que ordena que no admitan á

(1) Ilegible.

nadie á beneficios eclesiásticos en virtud de Letras Apostólicas, ó que le correspondan en pensión, sin que se haga expresa mención de esta gracia. Dada en Lyón, á 15 de marzo del año tercero de su Pontificado.

Y en el mismo archivo, armario citado, legajo 13, pergamino número 839, consta una copia de la donación de la iglesia oscense de San Pedro el Viejo al abad del cenobio de San Ponce de Tomeras, y de la concordia con el Cabildo sobre décimas, y con el obispo acerca de la jurisdicción sobre los pueblos de Morrano, Panzano y San Urbez, en el año 1203. Esta concordia aparece loada por el obispo Vidal de Cañellas en el año 1248.

En un legajo de papeles donado á la Biblioteca provincial de Huesca, recientemente, por los ejecutores testamentarios del Ilustrísimo Sr. D. Mariano Carderera y Ponzán, en cumplimiento de la última voluntad de éste; legajo rotulado «Notas curiosas y cartas, informes, etc., de artes y monumentos concernientes á Aragón» y que formó el ilustre arqueólogo D. Valentín Carderera, consta una leve descripción de un códice conteniendo los Fueros de Aragón ordenados por las Cortes de Huesca, del año 1247, en cuya ordenación intervino, como hemos dicho en el presente estudio, D. Vidal de Cañellas.

Dice Carderera que el códice es un precioso ejemplar en vitela, que vió en poder del abogado de Zaragoza don L. Franco. Es un grueso volumen en folio mayor, *de letra como la de Tortis, muy igual, con grandes márgenes y numerosas miniaturas, por el estilo del libro de los dados de D. Alonso X, pero algunas más delicadas. La primera es una gran viñeta dividida horizontalmente en dos. En la alta se ve al Rey Don Jaime I sentado en trono; señala con la mano derecha, hacia la izquierda, al obispo Canellas. Este tiene el alba, el palium azul, y presenta el libro al Rey. Este viste túnica azul, sotana gris, manto encarnado, con la cuerda, y cetro en la izquierda. A su derecha, tres obispos, el más cerca de él con planeta carmín, palio y mitra; el obispo siguiente, planeta roja sin palio; otro, planeta azul sin el palio. En el recuadro inferior hay ocho personajes que discutieron el dicho código de los Fueros.*

*Al fin, dice: Iste liber scripsit Michael Lupi de Candia. — Tengo copiadas tres ó cuatro miniaturas muy exactas.*

Añade que el códice está escrito en aquella época, ó sea mediados del siglo XIII.

RICARDO DEL ARCO

C. de la Real Academia de la Historia